



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

F. Omnia Sanctorum. 1. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## NOVEMBER.

## F. OMNIUM SANCTORUM.

1. Novembris.

IN nuce Iliadem, in pagellâ, inquam, omnes Sanctos tenes. Cæterum quæ festo huic diei origo fuerit, lubet denarrare. Et principio id constat, cum Deos jam Romani plures ferè quam homines numerarent, fanum exædificasse, in quo totus Deorum Dearumque grec stabularetur, & hoc ipsum ex re Pantheon dixisse. At anno, postquam Dii omnes uni cessere Deo, nono supra sexcentesimum, Bonifacius IV. PP. vacuum à demonibus locum lustrare aggressus, rectius hunc VIRGINI MATRI & Divis Martyribus sacrum voluit esse. In eam rem xxviii. Divorum ossibus onustos currus cum triumpho, quam potuit splendidissimo, induxit, simul ut ille ipse dies festus Romæ sanctusque esset, imperavit. Idem postea sub annum Christianum octingentesimum trigesimum quintum Greg. IV. per Occidentem sanxit, eam potissimum ob causam, ut, quando, cum ob numerum innumerum, tum quod viorum sanctorum pars longè maxima cælo, non item terris nota est, non potest Ecclesia singulis diem donare, certè omnes uno die veneretur. Atque hæc sunt diei hujus festa exordia. Tu, si sapis, numerum auge Beatorum. Nam ex omnibus Divis nisi tu etiam aliquando unus es, heu! nullus es. Ex Baron. & Mart. Rom.

Veneremur Sanctos, quibus traditum est triumphale regnum, judiciaria sedes, Angelorum consortium, corporum

porum immortalitas, beata visio, Christi conformitas, stellarum claritas, secura mansio, grata societas, jucunda fruitio, & divini luminis sempiterna comprehensio. S. Laurent. Justin. serm. de Omn. SS.

## S. CÆSARIUS MART. 1. Novembr.

**P**Ræferebat jam penè ipsi Romæ sese urbs Anxur, quod, quem semel illa omni ævo Curtium ostentarat, ipsa quoq; annis exhiberet Italæ. Nimirum vidisses Kalendis Januariis lectissimum quemque è juventute equo & armis conspicuum pro salute Reipubl. è sublimi monte in undas ire præcipitem, eoque factò nomen apud cives patris patriæ promereri. Et verò sceleris hujus irritamenta sclera erant alia, quæ sex aut octo totos menses inter omnem luxum & petulantiam impunè piaculares ejuscemodi hostiæ perpetrabant. Enimverò cùm ei spectaculo interesset CÆSARIVS ex Africâ redux, palam facti atrocitatem, verbis castigavit. Insaniam esse urbem, ne olim pereat, in flore suo facere perire, & ut serventur cives mali, optimum quemque ex his occidere, quid hoc aliud esse, nisi orco victimas sceleribus saginare, & sceleribus velle Superos demereri? At non ita sentire dux superstitionis Firminus, cuius impulsu Leontius vir consularis triduanâ fame vexatum CÆSARIVM ante currum ad Apollinis templum egit, nudum illum, sed paratissimum sic ad luctam. Et victimum se fassus est Apollo precibus Divi, cum templo & sacrificulo Firmino in terram dejectus sepultusque. Sed & Leontius post annum carcerem & inediam athleta Christi succubuit, priorque CÆSARIO pro fide mortuus est, qui demum culleo insitus cum Sacerdote Juliano in mare démersus est (ut ipse piè jactabat)